



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XV. Beatam dicit Virginem Ezechias; quia à malo culpæ non sanata; sed præservata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

terrarum ac cœli Regina, quam suscepimus defendendam causa, tui quos propulsumus hostes, ac nos quidem hoc modicum nostri sanguinis tibi consecramus, tu verò rege tuorum animos consilij, inflamma affectibus, & fac in commanentes hostes posse, nostra victoria si sequetur, nobis erit umbra, tibi solida gloria. Hæc dictis arma in hostem movit, & in acie complura millia cecidit & omnes illos suffulisset, nisi tanti sanguinis fusi horrorem non ferens receptui cecinisset. De iudicio Virginis ipsius verba tenemus. *Prov. 8. In medio semitarum iudicij ego ambulabam.* Adest iudicij & tribunalibus, ut illa dirigat ad rectitudinem. Quàm sollicita sit, quod fecit Josaphat, ut populus in lege Domini institueretur, patet ex alibi dictis. Dominus erat cum Josaphat. Cum Virgine autem modo speciali est Dominus.

25. Beatam dicit Virginem Rex Ezechias; quia à malo culpæ non sanata, sed præservata.

Cum ita vicinus sterisset portæ mortis Rex Ezechias *Isai. 38.* ut ingemisceret generationem suam velut tabernaculum convolui, telam vitæ velut à texente præscindi, ossa velut à leone conteri, denique cardines ac portas mortis sibi aperiri & stridere, accepto de longiore vitæ promisso, cecinit inter alia cœcogeminans. *Vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie.* Quod Rex ille in dimidio dierum cecinit, hoc Virgo initio. Fui culpæ originali obnoxia, tu me Deus præservasti, sum vivens, vivens, & in anima & in corpore. Duæ causæ inter venerunt ob quas prolongata Ezechia vita. Primò opera antecedentia, deinde futura. De præteritis ait. *Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate.* De futuro. *Domine vim patior, responde pro me.* *Aug. Rupert.* Sciebat ex futuris posteris nasciturum Messiam, & decebat sine posteritate. *Rupertus in 1. Nativ.* Adicit Dominus super dies Ezechia quindecim annos, quia videlicet per hoc factum est illi, ut locum & nomen haberet in libro generationis Iesu Christi, & tum factus Beatus cum ex illo processit Maria. Sanatur Ezechias per massam ficuum ulceri applicatam. *Lycan. in Isai. 38.* Massa ficuum nequaquam leniendo ulceris aut vulneris mala, sed exasperando potius, ac dilatando servit; at sanavit, cum Deus applicari iussit. *Osee 9. Quasi prima poma ficulneæ in sacumini vidi patris eorum.* De hac ficulnea massa carnis Christi assumpta, hæc Virginis applicata debito, quod habuit ad culpam contrahendam, sanavit. *Hymn. de Ascens. Dom. Culpat caro, purgat caro, regnat Deus Dei caro: sanat Deus Dei caro.*

Cum

Cum Ezechias promissum accepisset vitæ 4. Reg. 20. sol decem gradibus retrò celsit. Eccles. 48. *In diebus ejus retrò redijt sol, & addidit Regi vitam.* Deus certè addidit, non sol. Sol addidit Christus. Rabanus in 4. Reg. 20. Siquidem Sol iustorum Christus, prius per novem Angelorum gradus transiens & ad apprehendendum semen Abrahamæ descendens: deinde idem Sol super omnes choros Angelorum ad dexteram Patris ascendens, addidit Ezechiaë vitam, ut qui nondum erat, deinde additã sibi vitã esset ejusdem Solis Pater, idem Sol ut acciperet de Maria addidit illi vitam. Aug. serm. 15. Natus est de Patre Principium vitæ, de Matre autem finis mortis. Hic vitam Ezechiaë dedit, hic morti quã moriebatur finem imposuit. Invaserat Sennacherib cum prægnanti exercitu 4. Reg. 19. Regnum Ezechiaë. Hunc Deus ita alloquitur. *Quæ deprecatus es me super Sennacherib Rege Assyriorum, audivi.* Deinde de Sennacheribo sic loquitur Sioni. *Sprevit te, & subsannavit te filia Sion, post tergum tuum movit caput filia Jerusalem. Non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam elypeus.* Et ita factum, nam nocte una Sennacherib amisit centum octuaginta quinque millia militum, & in fuga in fano Dei sui à filijs jugulatus est. Sed cur Deus audivit Ezechiam, ipse aperit. *Protegam urbem hanc propter me, & propter David servum meum.* Quia ex David Christus nasciturus erat per Virginem è cujus meritis habemus omnia. Inter primas laudes Ezechiaë tribuitur 4. Reg. 18. quod ut omnem tolleret occasionem idololatriæ, serpentem æneum contrivit, neque hoc contentus, illum serpentem per contemptum appellavit Nohestan, seu, ut Theodoretus habet Nehustam. Philastrius & interlinearis glossa hanc vocem interpretatur. *Æs eorum. Lira Cuprum eorum, Alij, Cuprellum eorum.* At vide qualem Virgo serpentem contrivit. Iob eum describens, ait. *Halitus ejus prunas ardere facit, ferram illi stipula.* Tertiam (addit alter) partem de cælo traxit. Plura vide Job 40. & 41.

16. Beatam dicit Virginem Josias; quia gloriosè magis nomen ejus prædictum.

Ecclesiasticus ait 49. *Memoria Josiaë est in compositionem odoris. Arabicus vertit.* Nomen Josiaë velut Thuribulum in quo est de omni fumatione bona. *In omni ore quasi mel indolcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* Hoc est, ut naribus odor gratus, ut mel gustui, ut musica auditui, ita Josias gratus est. Sed & hic beatam debet Virginem dicere. Quia ut scripsit Ambr. lib. 2. de Virginibus. In alijs ministeria, atque umbræ, in ipsa autem tanquam in exemplari magisteria expressa